



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XV. APRILIS.

M

Adritti, a. d. 14. Mart.

Chauignius, quem Rex Gallorum Legatum, extra ordinem, ad nos miserat, ab omnibus reliquorum regum, principumque legatis perhonorifice exceptus, atque ab Aulæ proceribus aliquoties conuiuio adhibitus est. Rex de eius aduentu certior factus, illico misit, qui cum in aulam arcesseret, & præsentente Regina, remotis aliis arcanorum arbitris, cum eo sermones habuit. Nullas is sibi, quemadmodum alias fieri ad solet, ædes mercede conduxit, quam ob rem in eam plerique adducuntur sententiam, vt haud ita diu in hac eum vrbe commoraturum, existiment. Nudius tertius, solemne initiationis sacrum in sacello palatii regii peractum

fuit a Borgia, purpurato, qui Philip-pum, principem iuuentutis, salutaribus aquis expiauit. Loco Electoris Bavarie, & Parmensis Ducis feminae, Dux Mirandulana, & Marchio de sancta cruce, testium munere functi sunt. Superioribus diebus, Franciscus Rodrique-sius Mendarosqueta, Episcopus Seguntinus, qui amplissimis a Rege ad-motus fuerat muneribus, Seguntiae, quorsum se, paucis ante mortem die-bus, contulerat, e viuis excessit.

Parisis, a. d. 20. Martii. Accidit non ita pridem, vt centurio quidam dima-charum Monte Pessulano, nomine Eschachus, virginem nobilissimam, Bose dictam, data matrimonii fide, con-supraret. Cum autem is, quemad-modum pollicitus fuerat, eam in matri-monium ducere nollet, duo fratres virginis, illatam familiae suæ contu-meliam

meliam vlcisci volebant, quorum ille alterum ferro statim transfixit, alterū grauius vulnerauit. Quo facto, sororū vna in urbem hanc venit, atque vt facinus tam graue tamque nefandum senatus iusta afficeret pœna, rogauit. Quod cum obtinere statim non posset, domum rediit, atque glande plumbea e sclopo minori, quem veste texerat, centurionem illum deiecit. Quæ postea in custodiam quidem deducta resque, prout euenerat, ad regem fuit delata, sed regis tamen iussu absoluta atque libera dimissa protinus est. Etiam si antiquo more traditum erat, ut summæ curiæ Patres, quotiescunque solemniter gratulati venirent ad Reginam, togis induti, peditesque in aulam procederent; nihilominus tamen præter omnem Regis, & Ducis Aurelianensis hoc tempore accidit voluntatem, vt illi, ad portas usque palatii, carpentis vecti, venirent. Id moleste tulisse, ferunt, Regem, qui haud facile quidquam antiquæ cerimonix immutari patietur. Cum die, qui supplicationibus, propter aduentum reginæ institutis, præfinitus erat, aliqui duces, & primores, quos Franciæ Pares vocamus, puluillos, quibus genu submisso incumbere solent, secum adferrent in templum, adfuerunt protinus a rege missi, qui illorum usum iis interdicerent. Die 15. Martii, Rex cum Regina vesperi spectauit fabulam musicam, quæ Artemidos nomine insignis, mira arte excogitata fuit. Cùm nox adpropinquaret, area, quæ est ante palatium, festiuis ignibus egregie ornata erat, in quorum medio fons conspiciebatur, e quo vinum largius manabat.

Londini, a. d. 17. Martii. Heri, superioris Curix patres diu multumque deliberauerunt, qua ratione formulæ,

quibus præterito tempore solemniter intercessum fuerat, commentariis infererentur. Sunderlandus, Comes, imprimis eam tueri videbatur sententiam, vt tres eiusmodi formulæ, quæ conceptæ olim erant, delerentur, & cum regis eas dedecore coniunctas esse, existimabat. Illi autem valde refragabatur Cowperus, atque in hanc fere sententiam verba faciebat: „Eiusmodi intercedendi ratio frenum quasi imponit eorum audaciæ & temeritati, qui reipublicæ admouent manus, & regis freti præsidio, negotia, prout ipsis libitum est, inconsiderate tractant. Illi sane deinceps iure meritoque timere debebunt, ne rerum a se gestarum ratio adcuratius inuestigetur a Patribus utriusque Curix, si quando munere, cui præfæti fuere, abierint. quoniam negotia, nomine publico iis permessa, commentariis mandari solent, qui testimonium aliquando contra eos perhibere queunt. Quod si autem eiusmodi freni abiecti, & pedibus quasi proculcati fuerint, quilibet suæ indulgere libidini, & res pro arbitrio tractare poterit. Vt paucis me expediam, nullo argumento probari potest, quod eiusmodi intercedendi formulæ, communi omnium suffragio conceptæ, perscriptæque, cum dedecore regis sint coniunctæ. Lege enim publica salutariter constitutum esse, omnes nouerunt, vt ne rex quidquam faciat, quod detrimentum inferat reipublicæ, & si quid forte eiusmodi, præter opinionem acciderit, rationem debeant reddere illi, qui negotiis publicis præfæti fuerunt. Igitur iis, qui res pro eo, ac decet, administrant, non opus est huiusmodi velo, quo facta occultare possunt; illi autem, qui suæ obtemperantes agendi libidini, contra ius fasque res egerunt,

eo nequaquam tecti tutique esse poterunt. Cowpero, magna animi alacritate respondit Argilius, qui Regis defendit partes, & quanquam Bathurstius & post eum Episcopus Rossensis cum Greio, & Uxbrigdio in alia omnia abire viderentur, Sunderlandi tamen sententia, cui Towsgendius, & Harcourtus fauebant, locum obtinuit, & solemniter decretum fuit, vt tres istæ formulæ, quæ in controuersiam venerant, e commentariis utriusque curiæ plane eiicerentur.

Stugdardie, a. d. 25. Martii. Ex oppido Bissinga, prope Kirchheimium sub arce Tecca, nuntiatum est, die 12. Februarii tres fratres germanos ciuesque honoratos, festum coniugale, seu iterata nuptiarum solemnia, concelebrasse. Primus eorum natuque maximus *Cyriacus Goltzius*, Quæstor ac Senator oppidanus, qui cum vxore *Anna Wüstina*, sexaginta iam annos a nuptiis viuit, atque centum & vnum natos ex se vidit, quorum adhuc quinquaginta septem in viuis sunt, videlicet 6. liberi. 36. nepotes & 15. pronepotes, qui omnes, tribus exceptis, eum atque vxorem eius maxima cum lætitia in ædem sacram sunt comitati. Ex his, qui nuptiis olim eius interfuerant, nemo amplius superest, præterquam paranymphus, qui pariter 56. annos in matrimonio viuit cum vxore sua. Secundus fratrum *Georgius Goltzius*, Iudex Omdensis, qui locus vnus horæ itinere Bissinga abest, ante 55. annos matrimonio sibi iunxerat *Catharinam Kromerinam*, cum qua adhuc, sed sine prole viuit; eius quippe filius, & qui ex illo natus fuit nepos, pridem iam fatis concesserunt. Tertius fratrum *Christophorus Goltzius* incola Bissingensis, itidem 55. annos cum vxore *Anna Maria Küffer-*

linia cohabitat, cum qua heredes vidit viginti quorum tamen non amplius nouem videlicet 3. liberi atque 6. nepotes superiunt.

Petroburgi, a. d. 6. Martii. Circumferuntur apud nos litteræ, quas propter ducem Megapolitanum Imperator Russorum scripsisse fertur ad Imperatorem Romanorum, quarum argumentum sequens est.

SERENISSIME ET POTENTISSIME
IMPERATOR.

Affinitas, qua mecum dux Megapolitanus coniunctus est, & insignis illa calamitas, qua is non tantam adfligitur, sed in dies magis ac magis opprimitur, in eam me adduxere sententiam, ut illius causa, has ad Te exararem Litteras, simulque vehementer rogarem, vt, qui summus imperio Romano Imperator & iudex constitutus es, eius ipse causam beneuole recognoscere, & quemadmodum Leges, vsu & consuetudine apud vos receptæ, postulant, tandem aliquando diiudicare velis, ac pro tua, qua proles, auctoritate perficias, vt nobilissimo imperii principi, qui nihil admisit facinoris, sed inuidia tantum eorum, qui odio eum prosequuntur, ab omnibus fortunis deiectus est, bona restituantur, & illa facta perpetuo & tecta ei relinquatur. Idque eo impensius Te rogo, quoniam aliquot decreta contra ipsum promulgata nouimus, quibus eius inimici freti, ita eum oppreserunt, & ad incitas redegerunt, vt iam omnihus exutus fortunis, redditibusque, qui ad vitam sustentandam sunt necessarii, priuatus, haud aliter tractetur, ac si a fide obsequioque nefarie desciscens, bellum aduersus Te, atque imperium mouisset; cum eius tamen fides, & obseruantia, qua Te, Imperatorem, colit, & veneratur, neminem lateat,
Quam

Quam ob causam nulla ego unquam adduci potui ratione, ut crederem, Tuis promulgata esse auspiciis decreta, ad quæ prouocant, qui Ducem Megapolitanum tam indignis modis persequuntur. Ceterum Lancinskio, qui nobis est ab interioribus cubiculi, & iam Vin. dobonæ agit, præcepimus, ut pluribus is Tibi sententiam meam verbis exponat, qui precibus nostris, a fraterno animo profectis, isthoc Te daturum, confido, atque immortale Numen precor, ut Te quam diutissime saluum atque incolumem præstet, & omni felicitatis genere impertiatur,

Tuus fraterno amore

PETRUS.

Vienna . a. d. 11. April. Proximis hisce diebus Imperator Augustissimus, Emerico Friderico Fabre, summo vigiliarum Castrensi magistro, Leopoldoleos, quæ in Hungaria ad Vagum est, præfecturam, morte Caroli Ludouici Henrici Actonii, vacuè factam, detulit. Nuper defuncto comiti Althano sequens non nemo apposuit epitaphium.

Hic iacet

Caroli magni Hephæstion

Semper Mæcenas

Nunquam Seianus.

Alia indidem. Constantinopoli accepimus, auspiciis Turcarum Imperatoris, codicem sacrum in turcicam transferri linguam, & variis obseruationibus e Corano desumptis interpolari. Huic tamen consilio maximopere contrariari summum sacrorum apud Turcas antistitem, qui multum exinde religioni suæ periculi imminere, existimat. Patribus Romano-Catholicis, qui a SS. Trinitate nomen habent, & christianos, in seruitutem abductos, stipe collecta,

redimere solent, permiffum esse ab Imperatore, ut in suburbio Peræ sacellum ædificent, & suo more sacra faciant. Præterea Imperatorem Turcarum consilia eorum, qui se in imperio antecesserunt plane damnare, atque, ut Constantinopoli Academia instauretur, constituisse, in qua linguæ, quibus Europæ populi hodie vtuntur, deinceps doceantur. Inter alios, Gallicæ, Teutonicæ atque Italicæ linguæ magistros arcessendos statuisse Imperatorem, qui omnibus, Turcæ fuerint vel christiani, eiusmodi linguas instillent.

Posonii, a. d. 16. Aprilis. *Excelsa Commissio* cui negotia Religionis ad discutendum sunt commissa, posteaquam vltima partis vtriusque scripta accepit, compendium eorum, *extractum* dicunt, ab his fieri curat, qui partium hucusque aduocati fuere, quod vbi parauerint nullum est dubium, quin ad rationes examinandas sese accingat, sententiamque suam tandem Optimo Principi exponat; quo facto, momentoso huic negotio finem impositum iri speramus. Sed altera illa *Excelsa Commissio*, quæ ex benignissima Regis indulgentissimi voluntate, de rebus Politico-Militari-Oeconomicis in publicum consulat in posterum Præside *Eminentissimo Cardinali Csáky*, a. d. 13. primum conuentum celebrauit. Prælectæ in eo sunt Imperatoris Augustissimi litteræ, quibus luculenter exponebatur, quorsum totum Commissionis huius institutum pertineat. Postea sententias suas ad diem hodiernam aperire iussi sunt Patres conscripti. Ferunt Commissionem hanc duos admodum menses duraturam. Cæli status iterum apud nos frigidior esse cœpit; post pruinas, quas heri ac nudius tertius pertulimus, hodie niuibibus omnia sunt obruta.